

propter possessionem radicalem talis rei suo principio.

XXIII. Et quomodo objicitur, quod ille amor est concupiscentiæ, quia volumus illud bonum nobis; ergo non potest esse motivum charitatis, quæ est amicitia, et vult bonum amico, non sibi: quod præsertim urgetur, si aliquis vellet bonum divinum solum, quia est propria perfectio, et bonum sibi, præscindendo a motivo charitatis, seu amicitiae, quod est bonum alterius, tunc a quo habitu elicitur ille actus.

XXIV. Respondetur illum amorem, licet sit concupiscentiæ, non pertinere ad spem, quia excludit omnem rationem ardui, sine quo non datur spes: pertinet tamen reductive ad charitatem, quia non excedit motivum charitatis, quia licet charitas sit amicitia, et erga alterum, non contrariatur amori concupiscentiæ erga se, sed illum supponit, quia amicabilia ad alterum oriuntur ex amicabilibus ad se. Solum ergo amicitia excludit, quod ametur aliquis sistendo in se, et non volendo communicationem ejus ad alterum. Si autem aliquis velit communicari alteri, non excluditur, sed potius supponitur concupiscentia talis boni erga se, quia amicus est quasi alter ego. Per charitatem autem non solum amamus ipsum Deum, sed etiam proximum, et nos ipsos propter Deum, et consequenter, sicut volumus Deo bonum, verbi gratia gloriam ejus, sic et nobis volumus bonum divinum ex Deo, et propter Deum. Quare amor ille concupiscendi nobis bona divina ex charitate esse potest, quatenus gaudet de bono divino, et vult illud ut participatum in nobis.

XXV. Ille autem actus volendi mihi bonum divinum cum præcisione, quatenus mihi bonum est, et et supernaturalis sit, quia est de

objecto supernaturali, et modo supernaturali voluto, si quidem non possum desiderare efficaciter mihi rem supernaturalem, nisi sub motivo, et medio supernaturali, dico, quod vel ille actus sic præcisus non elicitur in patria propter sui imperfectionem; sicut enim charitas perfecta foras mittit timorem, ita et concupiscentiam, quando taliter vult sibi bonum, ut excludat motivum charitatis: hæc enim exclusio magna imperfectio est; vel si talis actus datur in patria, elicitur aliquando ab auxilio aliquo debito ipsi charitati quatenus extenditur secundario ad volendum bonum divinum, ut participatum est in nobis; et sic potest velle illud, non per exclusionem motivi charitatis etiam radicaliter, sed per meram præcisionem, quatenus vult bonum sibi, et non exprimit illi ordinem ad alterum, licet non totaliter excludat.

#### ARTICULUS VI.

*Utrum in Christo fuerit donum timoris?*

I. Loquimur de dono timoris hic, non solum pro habitu, sed etiam pro actu: neque enim negandum est in beatis dari actum doni timoris, et non solum habitum, ut contra Durandum communiter tenent theologo. De isto autem actu sumitur difficultatis punctus ex duplici principio. Primum quidem, quia timoris actus debet includere timorem communiter dictum, sicut species includit suum genus; timor autem communiter dictus importat fugam mali imminentis; timor quidem filialis fugam culpæ; timor autem servilis fugam mali pœnæ, ut docet S. Thomas 2-2, quæst. xix, art. ii, sed Christus respectu nullius mali

timorem habere poterat, neque fugam; nam respectu mali culpæ erat omnino impeccabilis: respectu mali pœnæ, omnino securus, et omnia habens in potestate sua; essetque magna imperfectio ponere in Christo timorem mali pœnæ, qui est timor servilis.

II. Nec sufficit recurrere ad pœnam, vel culpam ipsi humanitati possibilem, si dimitteretur a Verbo; sic enim poterat annihilari, peccare, etc. Hæc enim omnia non poterant apprehendi a Christo ut mala imminencia de proximo, et ut practice mala: sed ut remotissima, et solum speculative possible. Timor autem respicit malum imminens, non ut absolute possibile. Et quidem talia mala si essent mali pœnæ non deserviebant dono timoris, qui est timor filialis, sed timori servili, qui non erat in Christo: si autem erant mala culpæ, non poterant timeri humanitati Christi, quamdiu erat in Persona divina, sed si transiret ad aliam; ergo Christus in natura assumpta nihil poterat timere.

III. Secundo, oritur difficultas ex dictis S. Thomæ. Nam ipse ponit hic articulo sexto, quod in Christo non fuit timor, secundum quod respicit malum separationis a Deo per culpam, aut malum punitionis; sed secundum quod respicit divinam eminentiam, prout anima Christi quodam affectu reverentiæ movebatur in Deum a Spiritu sancto acta, contra quæ duo obstant ex ipso S. Thoma. Primum quidem 2-2, quæst. xix art. xi ponit in beatis actum doni timoris per modum fugæ mali, ut possibilis naturæ; impossibilis autem beatitudini; ergo similiter in Christo donum timoris debet habere actum fugæ respectu mali, ut possibilis naturæ; impossibilis autem unioni hypostaticæ. Secundum, quia dicit idem sanctus doctor ibidem art. ix ad secundum, quod princi-

pale objectum, et proprium timoris est malum, quod quis refugit, et quia per hunc modum Deus est objectum timoris, non autem objectum spei, et aliarum virtutum theologiarum, ideo donum timoris non est virtus theologica.

IV. Ex quo formatur argumentum: Remoto principali, et proprio objecto alicujus habitus, removetur quidquid secundarium est: sed in dono timoris principale, et proprium objectum non est Deus, sed malum, quod quis refugit; alioquin esset virtus theologica: ergo remoto illo objecto, quod est malum, removetur essentia doni timoris: ergo si in Christo non fuit actus refugiendi malum, sed solum intendi in Deum, non salvatur donum timoris, nec principalis actus illius.

V. Propter hæc divisæ sunt theologorum sententiæ. Quidam enim simpliciter negaverunt actum fugæ in dono timoris, prout in Christo; sed solum ferri in divinam eminentiam sine respectu ad malum. Cajetanus tamen hic affirmat, quod respicit divinam eminentiam, ut potentem infligere malum. At vero alii admiserunt veram fugam mali in dono timoris, sed variant in assignando ejus objecto: nam aliqui putant esse fugam mali respectu culpæ, ut possibilis ipsi naturæ humanitatis in Christo, vel in beatis, si separetur persona, vel beatitudo, quia actus licet non respiciat malum imminens, et ita non habeat omnem modum, et perfectionem timoris, habet tamen quantum ad aliquid, scilicet quantum ad fugam mali impossibilis. Ita Suarez disp. xx, sect. ii in fine. Alii dicunt habere pro objecto non malum culpæ, sed absolute quodcumque malum, verbi gratiæ annihilationem. Sciebat enim Christus posse destrui humanitatem ejus a Deo, et inde oriebatur reverentialis timor ad ip-



sum. Sic dicitur sensisse Victoriam.

VI. Alii denique posuerunt in dono timoris, tam in Christo, quam in beatis non dari fugam mali imminens efficaciter, quia non potest ab eis aliquod malum apprehendi efficaciter ut imminens, sed dari actum affectus reverentialis erga Deum, qui actus non habet pro objecto immediato directo ipsam divinam eminentiam, et potestatem, sed habet pro objecto immediato subjectionem passivam sui ad divinam majestatem: ubi ly divina majestas intrat in obliquo, sicut objectum religionis est cultus exhibendus Deo. Et iste actus reverentialis, seu subjectio, dicit quodammodo fugam ab eminentia divina, respiciens illam, non tamquam aliquod malum, sed tamquam excellentissimum, cui se æquare non audeat creatura; ideoque talis subjectio dicitur furga, id est, coarctatio quædam, et resilientia in propriam parvitatem ab excellentia divina, quasi quidam horror, et tremor divinæ majestatis. Sic enim explicare videtur hunc actum doni timoris S. Thomas 2-2, quæst. xix, art. ix in corpore dicens: « Quod timor filialis facit hominem bene subjectum, et non repugnantem subjici Deo, in quantum per ipsum reveremur Deum, et refugimus, nos ipsi subjicere: » et articulo x, solutione ad tertium inquit: « Quod separationem importat timor per hoc, quod non præsumit se adæquare Deo, sed ei se subjicit. »

VII. Ex his omnibus modis dicendi eruenda est genuina explicatio hujus difficultatis, et mentis S. Thomæ. Cum enim S. Thomas 2-2, quæst. xix, art. i, et hic articulo sexto posuerit timorem respicere duo objecta, quorum unum est malum terribile, quod nobis evenire potest; aliud est in cujus potestate tale malum inferri potest, sicut ti-

memus regem, quia habet occidendi potestatem, observandum est primo, quod licet timor communiter dictus, et condistinctus contra donum, utrumque objectum attingat, et principaliter illud malum, quod nobis evenire potest, tamen timor elevatus ad rationem doni opposite se habet; respicit enim pro objecto principali non illud malum, quod nobis evenire potest, sed causam a qua provenit, quæ est ipse Deus, cujus potestate potest malum infligi. Secundario autem potest respicere, et fugere ipsum malum, quod nobis imminere potest; non tamen de necessitate illud respicit, sed solum quando est in statu imperfecto, ut in via, non in beatis, neque in Christo. Ita expresse S. Thomas hic art. vi ad primum, ubi inquit: « Quod de ratione doni timoris non est illud malum, quod respicit timor (scilicet communiter dictus) sed eminentia illius boni, cujus potestate aliquod malum infligi potest. » Sentit ergo, quod primarius actus doni timoris non versatur circa malum ut infligendum, sed circa bonum ut inflictivum mali.

VIII. Et rationem reddit sanctus doctor in tertio ad Annibaldum, dist. xxxiv, quæst. ii, art. i ex differentia, quæ versatur inter timorem, et tristitiam, quia tristitia respicit malum ut præsens, et communiter ut extra suas causas: timor autem ut futurum, et ideo intra causas: « Unde timor, inquit, non respicit malum nisi mediante causa a qua potest provenire. Timor autem, qui est ex Spiritu sancto facit hominem respicere ad Deum, sicut ad causam, quæ potest malum infligere, vel prohibere, quodcumque sit illud malum. » Hæc est ergo causa, quare timor, qui est donum, non respicit principaliter malum infligendum, sed causam inflictivam mali, qui est Deus, quia timor respicit malum

ut intra causam, quia ut futurum. Unde non est contra rationem timoris, quod quando elevatur ad rationem doni principaliter respiciat causam, quam effectum.

IX. Unde omnes illæ sententiæ, quæ ponunt actum doni timoris primario, et per se circa malum imminens, aut possibile, aut præteritum, devianta mente sancti doctoris, et manifeste excluduntur quia timor quando respicit malum, quod evenire potest, respicit illud ut moraliter, et practice imminens; quod enim sic non apprehenditur, non timetur: non potest autem Christus sic apprehendere malum culpæ, quia est illi omnino impossibile ratione personæ, sicut nec beati, quia est illis impossibile ratione status; sed solum ineffaciter, et conditionate possunt illud apprehendere: « Ut possibile naturæ, impossibile autem beatitudini, » ut dixit S. Thomas. Christus autem tanto minus potest formare istud conditionatum, quanto magis ab intrinseco illi repugnat peccatum, non ratione status accidentaliter, sed ratione suppositi, quod est principium substantiale operandi.

X. Observandum est secundo, illum modum dicendi melius attingere mentem S. Thomæ, et veritatem, qui ex Cajetano elicitur, et ex ultimo modo dicendi, supposito scilicet, quod objectum doni timoris, quantum ad reverentialem affectum includit ex parte nostra subjectionem ad Deum per modum reverentiæ. Deus autem solum in obliquo, et in connotato attingitur a timore, non solum quantum ad excellentiam, quomodocumque consideratam, sed ut inflictivam mali, cum tanta eminentia, quod ei resistere non potest. Itaque licet ad timendum malum, ut infligendum, qui se habet ut effectus causatus ab illa potestate, non sufficiat respice-

re malum ut possibile, sed necesse sit apprehendere malum illud ut imminens, tamen ad timendam causam inflictivam tali mali, sufficit habere subjectionem ad ipsam, ut ad potestatem inflictivam mali de possibili, licet non sit efficaciter infligendum.

XI. Totum hoc deducitur ex S. Thoma. Nam in primis, quod donum timoris respiciat ex parte nostra subjectionem ad Deum, manifeste patet 2-2, quæst. xix, art. ix, et art. x ad tertium, ubi expresse dicit: « Quod timor filialis non importat separationem, sed magis subjectionem ad Deum. » Hæc est materia, seu objectum proximum doni timoris, scilicet subjectio nostra erga Deum. Et ratio est, quia in hoc debet distingui donum timoris a virtutibus theologis, quod non debet pro objecto proximo, et immediato habere aliquid increatum, sed aliquid creatum cum ordine ad Deum, sicut religio habet pro objecto cultum exhibendum Deo, ubi cultus intrat in recto, et Deus in obliquo. Et similiter donum timoris habet pro materia subjectionem nostram erga Deum, ubi ly Deus in obliquo includitur. Sed tamen hanc subjectionem etiam habet humilitas, et aliæ virtutes, quæ nos subjiciunt Deo (quia non est inconveniens virtutes convenire in eadem materia) diverso tamen modo, et formalitate id facit donum timoris, quia respicit subjectionem ad Deum per modum reverentiæ, id est, quantum ad causam inflictivam mali, ut jam explicavimus.

XII. Quod vero donum timoris debeat respicere Deum in obliquo, non ut præcise habet excellentiam, sed ut habet illam in potestate inflictiva mali, ut dicit Cajetanus hic, manifeste asseritur a S. Thoma in hoc articulo sexto. Nam in corpore articuli inquit: « Quod eminentia, quam



respicit timor, est illud, cujus potestate potest infligi malum; non autem timeretur ille, qui potest nocere, nisi haberet quamdam eminentiam potestatis, cui facile resisti non potest: » et in solutione ad primum inquit: « Quod de ratione doni timoris non est illud malum, quod respicit timor, sed eminentia illius boni, cujus potestate aliquod malum infligi potest: » et 1-2, quæst. XLII, artic. 1 docet: « Quod Deus timetur in quantum potest pœnam infligere. »

XIII. Et ratio hujus est, quia potestas, et excellentia divina potest considerari tripliciter. Vel quatenus in suo esse est superior omni creatura: vel quatenus est superior in virtute benefaciendi: vel quatenus est superior in virtute lædendi, et infligendi malum. Si primo modo consideretur ille respectus ad Deum, ut superiorem in essendo, est communis omni virtuti respicienti Deum, quia semper respicit illum, ut superiorem omni creatura. Unde dicit S. Thomas 2-2, quæst. XIX, art. X ad tertium: « Quod timor importat separationem, per hoc quod non præsumit se adæquare Deo, sed ei se subicit, quæ etiam separatio, inquit, invenitur in charitate, in quantum diligit Deum super se, et supra omnia: » ergo talis subjectio ad superioritatem divinam non est propria timoris, sed etiam convenit charitati, et aliis virtutibus respicientibus Deum, ut humilitati, religioni, etc.

XIV. Si vero consideretur excellentia divina, ut est superior in virtute benefaciendi, respicitur in obliquo a religione, et directe a spe. Religio enim honorat Deum, quatenus est primum dans esse omni creaturæ, quod est respicere illum, ut benefactorem: spes autem respicit Deum, ut auxiliantem supra omnem virtutem creatam: unde religio

subicit hominem Deo, non per modum honorationis, et cultus, quia respicit excellentiam divinam, ut benefactivam: donum autem timoris non dicit honorationem et cultum, sed reverentiam et tremorem, quia respicit excellentiam divinam ut terribilem, id est, habentem potestatem lædendi, et infligendi, et non solum benefaciendi: sic enim causat horrorem et tremorem, facitque resilire hominem in suam parvitatem, quatenus considerat illam potestatem, cui non potest resisti. Si autem consideraret illam ut excellentem in benefaciendo, non respiceret illam tamquam cui resisti non potest, neque enim in benefaciendo attenditur ista non resistentia, neque ex potestate benefactiva concipitur horror, aut tremor. Unde optime dicit Tertullianus II contra Marcionem, cap. XIII: « Sic Deus est omnipotens, quia et juvandi, et lædendi potens, minus est tantummodo prodesse, quia non aliud quid posset, quam prodesse. »

XV. Quod si objicias: Quia potestas inflictiva mali, vel respicitur ut potens infligere malum ut sic, vel ut potest infligere isti timentis. Primo modo non est objectum timoris, quia non respicit ipsum timentem: secundo modo illud malum non est possibile humanitati ut assumptæ; ergo non timet illam potentiam.

XVI. Respondetur, quod ad affectum reverentialem in timore sufficit, quod in illa potestate, et eminentia consideretur vis inflictiva mali absolute, et pro quocumque statu; non sub isto, vel illo determinate, ut bene notat Cajetanus in fine hujus articuli sexti. Non enim movetur affectus animo reverentialem erga aliquam potestatem, quia timet illud malum ut sibi propinquum, aut imminens, sed quia absolute videt possibilitatem illius mali res-

pectu alicujus pertinentis ad se, et si non pro isto, vel pro illo statu, sed pro aliquo. Et sic beati apprehendunt divinam eminentiam ut terribilem, et potentem sibi infligere malum, non manente statu beatitudinis, et in sensu composito, sed removendo illud, et in sensu diviso. Et similiter Christus apprehendit illam potestatem, non ut potentem infligere malum naturæ ut assumptæ, sed naturæ secundum se considerata, ut est creatura, et consequenter ut est aliquid suum, et ad se pertinens, licet non sit capax illius mali nisi pro alio statu. Una autem Persona divina non timet aliam, quia non respicit illam ut eminentem, sed ut æqualem: ad timendum autem malum per modum effectus eventuri, oportet respicere illud tamquam arduum imminens sibi, et non solum potestatem inflictivam mali pro aliquo statu.

## SOLVUNTUR ARGUMENTA.

XVII. Ad objectiones patet ex dictis. Ad primam dicitur probare quod in Christo, et in beatis non sit timor respectu mali, quod timeatur tamquam effectus eventurus; non tamen quod non sit timor per modum effectus reverentialis, respectu causæ inflictivæ mali. Nec oportet, quod determinate respiciat malum culpæ, vel pœnæ, sed sufficit illa causa ut inflictiva cujuscumque mali, ad hoc ut motu reverentiæ illam respiciat.

XVIII. Et cum instatur, quod timor, qui est donum includit timorem communiter dictum, sicut species genus, respondetur quod timor communiter dictus non est idem quod genus timoris, sed est timor magis ordinarius, et communiter notus, condistinctus contra timorem,

qui est donum: sicut spes communiter dicta condistinguitur contra spem theologiam. Unde non est genus timoris, sed species: genus autem timoris abstrahit a motu reverentialem, vel a fuga mali, quæ est timor communiter dictus.

XIX. Ad secundam respondetur loca S. Thomæ ex dictis conciliari. Admittimus id, quod dicit in hoc articulo sexto, quod in Christo non est actus timoris respectu mali culpæ, aut pœnæ, sed solum affectus reverentialis. Et cum objicitur ex secunda secundæ, quod in beatis est fuga mali, dico, quod habent fugam mali inefficacem, aut conditionalem, scilicet, ut est possibilis naturæ, non beatitudini, quod tamen magis est impossibile Christo, quam beatis ratione personæ. Vel secundo habent fugam mali, quasi in connotato et in obliquo, non directe, quatenus reverentur Deum, ut potentem infligere malum, ubi ly malum includitur in obliquo; sic etiam in obliquo fugitur non directe.

XX. Ad secundum locum S. Thomæ dicitur, ibi locutum fuisse de objecto principali actus secundarii doni timoris, quod tamen est principale in timore communiter dicto: primus enim actus doni timoris est reverentia, et secundarius est fuga mali, ut in nobis invenitur.

XXI. Sed obstat huic solutioni, quod tunc S. Thomas non solveret argumentum, quia solum ostendit, quomodo donum timoris non sit virtus theologica sicut spes, ex parte actus secundarii; restabat autem ostendere, quod etiam ex parte actus primarii non sit virtus theologica.

XXII. Sed respondetur, quod cum donum timoris habeat duplicem actum, unum primarium, qui est reverentia; alterum secundarium, qui est fuga mali, de actu primo ostenderat in corpore articuli, et ex-



pressius postea articulo x ad tertium, quod non est actus virtutis theologicæ, quia importat subjectionem sui in ordine ad Deum. Unde cum respiciat pro materia directa aliquid creatum, scilicet subjectionem sui, et solum in obliquo respiciat Deum, manebat ostensum, quod ex hac parte non erat virtus theologica, quia indirecte, et in obliquo respicit Deum. Quare restabat ostendere, quod ex parte actus secundarii, qui est fuga mali non sit virtus theologica, cum tamen etiam sub ista formalitate sit donum Spiritus sancti; et hoc ostendit ex eo, quod principale objectum ejus sub ista formalitate, et denominatione est malum, quod quis refugit, et per hunc modum Deus non est objectum timoris, quia non fugit ipsum Deum tamquam malum; et consequenter prout sic non est virtus theologica.

XXIII. Restabat agere de prophetia, quomodo scilicet Christus fuerit vere, et proprie propheta; sed quia hoc supponit cognitionem Christi respectu futurorum contingentium, et aliarum rerum supernaturalium, commodius disputabitur circa quæstionem undecimam agendo de scientia Christi infusa.

## DISPUTATIO IX.

## DE PERFECTIOE GRATIÆ CHRISTI.

## ARTICULUS I.

*Utrum gratia Christi habitualis poterit augeri de potentia absoluta?*

I. Ab hac difficultate inchoamus disputationem, quia ex ejus resolu-

tione omnes aliæ difficultates circa infinitatem, et plenitudinem gratiæ Christi determinari possunt. Est autem notandum, quod in gratia sicut in quacumque alia forma possumus quatuor modis infinitatem distinguere, quasi per quatuor prædicamenta. Prima infinitas est in ratione entitatis, et quasi in substantia, seu quidditate rei: secunda infinitas est in ratione quantitatis, id est, in extensione ad varios effectus gratiæ, secundum diversas virtutes, et dona: tertia infinitas qualitate, scilicet penes intensionem, et gradus: quarta est secundum relationem, seu respectum, quæ est infinitas in dignitate, et morali æstimatione, secundum quod gratia respicit suppositum, et ab eo dignificatur.

II. Supponimus gratiam Christi entitative, et secundum substantiam suam non esse infinitam, utpote ens creatum, et ad determinatum genus, et speciem spectans; nec etiam est augmentabilis ex hac parte, quia essentiæ rerum secundum specificam constitutionem habent se sicut numeri, qui non possunt variari, nec crescere, aut minui.

III. Secundo, admittimus gratiam Christi esse infinitam secundum moralem æstimationem, et respectum ad suppositum, et hanc moralem æstimationem quidam appellant gratiam in esse gratiæ; et in illa crescere non potest, quia non potest ordinari ad aliquid majus, et excellentius, quam ad Personam divinam, ratione cujus dicit S. Thomas hic articulo xii ad secundum, quod non potest crescere gratia Christi in esse gratiæ.

IV. Denique admittimus, quod non potest crescere gratia Christi in extensione, eo quod habet in Christo rationem universalis principii ad omnes effectus gratiæ, qui licet non sint infiniti simpliciter in omni ge-

nere, sunt tamen omnes effectus possibles intra genus gratiæ, quia universale principium in tali genere omnes illos effectus includit, sicut sol, et cælum omnes effectus hujus mundi corruptibilis, et generabilis. Et hac ratione dixit S. Thomas articulo nono hujus quæstionis in fine corporis, esse plenitudinem gratiæ in Christo, quia se extendit ejus gratia ad omnes effectus gratiæ, qui sunt virtutes et dona, et alia hujusmodi.

V. Restabat ergo difficultas de infinitate intensive, in qua etiam supponimus secundum probabilior sententiam S. Thomæ i part. quæst. vii, articulo iv, negantis posse dari etiam de potentia absoluta infinitum categorematice, gratiam Christi non esse infinitam categorematice, ita quod ratione hujus non possit augeri. Sed difficultas est, an gratia Christi habeat terminum intrinsecum, ita quod ultra, nec de potentia absoluta possit augeri; an vero careat tali termino, possitque augeri in infinitum syncategorematicè de potentia absoluta, licet ex aliquo accidentali statu, ut quia est in termino beatitudinis, vel quia est conjuncta Personæ divinæ, connaturaliter non possit augeri.

VI. Duplex est sententia, tam in schola S. Thomæ, quam extra. Quidam enim tenent partem negativam, scilicet, quod de potentia absoluta non possit augeri in intentione gratiæ Christi. Ita Cajetanus hic, præsertim art. xi et xii, quem sequitur Nazarius art. xxxii, controversia unica. Tribuitur etiam Scoto in iii, distinct. xiii, Durando, et Paludano ibidem quæstione prima, et aliquibus recentioribus placet.

VII. Fundamentum sumitur, tum ex auctoritate S. Thomæ, tum ex ratione. Nam in primis in hoc articulo xii, dicit: « Quod ex parte formæ excluditur possibilitas aug-

menti in gratia Christi, quia sicut aliarum formarum est determinata mensura, et propria ex divina sapientia, ita et gratiæ. Mensura autem cujuslibet formæ est per ordinem ad suum finem. Finis autem gratiæ est unio rationalis creaturæ ad Deum. Non potest autem esse, neque intelligi major unio, quam quæ est in Persona, et ideo gratia Christi pertingit ad summam mensuram gratiæ. Sic igitur manifestum est, quod gratia Christi non potest augeri ex parte ipsius gratiæ. » Hæc D. Thomas, ubi sanctus doctor loquitur etiam de potentia absoluta; tum, quia negat possibilitatem augmenti simpliciter, et sine addito; tum, quia mensura, quæ præfigitur cuicumque formæ ex ordine ad finem, est essentialis, et intrinseca, quia ordo, et dependentia a fine essentialis est formæ; ergo intelligit augmentum esse impossibile secundum essentiam gratiæ, quod est absolute esse impossibile; nam si cresceret illa gratia, faceret creaturam magis unitam Deo secundum illum majorem gradum; tum denique, quia dicit, quod major unio nequit esse, neque intelligi potest; quod autem dari potest de potentia absoluta, intelligi potest.

VIII. Secundo, adducit Nazarius loca S. Thomæ ex tertio sententiarum, dist. xiii, quæst. i, art. ii, quæstiunc. iii, ubi inquit: « Quod secundum quod res est in termino, tota capacitas potentialitatis ejus impleta est ex fine implente, et ideo non habet ulterius quo crescat. Et quia anima Christi ab initio fini ultimo unita fuit, non solum per fruitionem, sed etiam communicando in Persona Verbi, ideo gratia ejus crescere non potuit. » Et solutione ad secundum ponens argumentum: Quod quanto magis additur intellectuali naturæ de perfectione, et